

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA  
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE  
CAELANDIS  
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS  
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (<sup>Grand Hôtel</sup>  
<sup>de la Minerve</sup>)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX  
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, ante solvendum, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1.80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - ROMAM



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA  
apud  
Librairie Gamber

Paris  
Rue Danton.

IN ANGLIA  
apud  
Burns and Oates

London W.  
28, Orchard Street.

IN RUSSIA  
Varsaviae Polonorum  
apud  
Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.  
Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN CANADA  
apud  
Librairie Granger Frères

Montreal  
1609, Rue Notre-Dame.

T. et G. Fratrum Parisi

ROMAE in ITALIA  
in foro Campi Martii, 6



Vincentius Rigacci  
officinae conditor  
an. 1789.

PONTIFICIA OFFICINA  
CANDELARUM AD SACRA

cui Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X  
honores addidere

Candelae ad Sacra in Americas, in infimam Africam, apud Indos, Sinenses, Iaponios  
atque in Australiam exportantur.



Novarum earumque latissimarum aedium prospectum damus, quas Fr. Parisi ad Candelas ad Sacra cereasque faculas ad noctem fabricandas recens in Urbe a solo excitarunt, et cuique visitandas praebent per tesseram gratuito apud ipsorum centrale officium, Romae in foro Campi Martii, 6, petentibus distribuendam.

Candelarum « tipus oeconomicus » perfectae exustionis venit lib. (francs) 225 centenis Kgr. — Merx nullo iubentis impendio in omnes orbis portus mittitur, dummodo trecentis saltem cereae Kgr. constet.

Colligationes ab officina Parisi adhibitae eae sunt, quae deserti traiectionem in camelorum dorso (viginti dierum iter) facilissime perferant.

Commercium epistolare habetur Italica, Latina, Gallica, Anglica, Theutonica, Hispanica lingua.

Ann. XII.

ROMAE, Kal. Iuliis M DCCCCIX.

Num. VII.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

## Rerum index:

- Commentationes philologicae. — De Thucydide.  
Agrestis cryptarum Romanarum musa.  
De S. Basilio Magno doctore.  
Vox Urbis palaestra.  
Colloquia latina. — Cantus musicus.  
Paroemiae sive Adagia. — Servire scenae.  
De epitaphiis artifices respicientibus in christianorum coemeteriis.  
Ob quinquagenaria sollemnia Pontificii Urbani Collegii Foederatarum Civitatum Americanae Septentrionalis. — Pius PP. X et Pont. Urbani Collegii Fod. Civ. Amer. Septentr. iubilaeum. — Petri Angelini carmen.

## COMMENTATIONES PHILOLOGICAE

### DE THUCYDIDE

De Thucydide ut historico quale iudicium faciendum putamus? Antiquitatis si spectamus auctoritatem, principem eum Graecorum Romanorumque rerum scriptorum uno fere ore vocatum videmus. Idem posteriores adeoque noviciorum operum eius editores testimonium dicunt. Inter quos etiam fuerunt, qui ei vel omnium, quotquot unquam historiam attigissent, principatum deferre non dubitarent, asseverantes nullam generis humani memoriam nobis in tam clara luce positam apparere quam Peloponnesiacum bellum beneficio operis Thucydidei. Quin etiam inventus est, qui rem ultra modum exaggerans pronuntiaret Thucydidis ore ipsam historiae Musam locutam videri. Haec de Thucydide iudicia si pro merito ac dignitate rerum prolate sunt, haud sciām an nihil in cumulum laudis et commendationis huius historici possit accedere. At enim non diffitendum est iam superiori aevo locos quosdam serupulos inieciisse interpretibus, quod nescio quid parum verisimile in enarratis rebus inesse videretur. Sed magna illa et tralaticia Thucydidis auctoritas interpretum aciem ita praestringebat, ut timide modo et dubitanter de eiusmodi locis müssarent et ad contortas violentasque explicationes confugere mallent quam aperte, quid sentirent, proloqui et historico fidem denegare auderent.

Nuper demum haec lis, ut videtur, dirempta est et quidem non salva Thucydidis fide. Nam Muell-

rus-Strübing, qui, quum ipse Thucydidis libros non ediderit, tamen in scientissimis eius existimatoribus numerandus est, magno doctrinae apparatu rem aggressus cum de aliis operis Thucydidei partibus tum de rebus Plataeensium, quae secundo et tertio libro exponuntur, multas et graves dubitationes commovit, quae quomodo dilui possint, me quidem non videre fateor. Etenim neque obsidionem Plataearum neque eruptionem partis obsessorum eo, quo Thucydides descripsit, modo fieri potuisse tanti momenti argumentis Muellerus demonstravit, ut omnem paene istius narrationis fidem everterit. Audivi quidem fando professorem quandam Graeciensem peculiari libello conatum esse Thucydidem a Muelleri criminibus vindicare, sed quamquam illius apologistam nondum oculis usurpavi, tamen in antecessum nego id ei ullo modo contingere potuisse. Eousque manifesta nec ullis artibus expugnabilia nobis Muelleri argumenta videntur, ad quae singulatim persequenda quum hoc loco descendere nobis non liceat, eos, qui rei accusati cognoscendae cupidi sint, ad ipsam Muelleri dissertationem (1) doctam tersegue et polite non sine aliqua acrimonia scriptam delegamus.

Neque vero Muellerus satis habuit illam narrationem ut a veritate discedentem arguere, nisi etiam Thucydidis rationem, quantum posset, explicare et quodammodo excusare conaretur. Atque eorum, quae in hanc sententiam exprimit, summam hoc loco reddere nobis non abs re videtur.

Veteres, inquit, a vera historiae notione tantum afuerunt, ut vel poētarum, maxime epicorum et tragicorum, commenta pro rebus vere gestis haberent.

(1) Continetur in ephemeride Lipsiensi: *Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik*. 1885. Vol. 181. — 1886. Vol. 183.

Illud ne suspicabantur quidem, quod nostra aetate inter omnes constat, historiae officium esse, ut res, sicut gestae essent, summa fide repraesentatas aequalibus et posteris traderet nullo praetera adiuncto secundario consilio. Immo ipsa rerum veritas eis ne satis digna quidem, quae literis mandaretur, visa est, nisi eadem opera aut delectationi aut utilitati inserviretur. Ac de iis, qui delectationem legentium vel audientium aucuparentur, sufficit meminisse Herodoti eiusque similium, quos ipse Thucydides in prooemio oblique perstringit, eorum vero, qui docere lectores eisque prodesse vellent, nemo id consilium evidenter secutus est quam Thucydides, qui ipse in prooemio declarat suam historiam utilem fore iis, qui, si quando similis rerum conversio exstitisset, ea esent usuri. Nec absimile est illud, quod in descriptione pestilentiae Athenis ortae (II. libro) de futuro sui laboris usu adnotavit. Enimvero etsi non sumus ii, qui utilitatem historiae negemus, tamen iidem contendimus utilitatem sequi historiam, non praeire ei et quasi facem praeferre debere, id quod Thucydidea aetatis homines vix somniasse supra significavimus. Quum igitur Thucydides, ut supra diximus, id sibi praeter ceteros proposuisse, ut instrueret lectores et ad res gerendas idoneos efficeret, vix in ulla operis sui parte id consilium tam aperte ostendit quam in Plataeensium rebus enarrandis. Quae civitas quum nullius fere momenti ad res belli Peloponnesiaci esset, tamen eius fata mirifica copia et epica prope prolixitate descripta videmus. Ipsum bellum initium a Thebanorum in Plataeensium urbem irruptione exorsus est, quum tamen exploratum sit principium belli a prima Lacedaemoniorum in Atticam incursione esse repetendum. Atque illam ipsam Plataearum occupationem tam vividis coloribus illustravit, ut magis delenire et oblectare lectorem voluisse quam vera referre videatur. Sed infinito magis ista veritatis neglectio in Plataearum per Lacedaemonios obsidione cernitur. Hanc enim tanta subtilitate tamquam minutatim persecutus est, ut facile perspicias eum nihil aliud nisi artes quasdam et rationes tradere velle, quibus et obsidentes et obsessi uti debeant, illi ad expugnandam aliquam urbem, hi ad se quam diutissime tutandos. Atque illarum artium expositionem, quae rei militaris magistro, non historico conveniebat, non dubitavit ad Plataearum obsidionem ita traducere, tamquam si in ea re vere adhibitae essent. Idque optima fide facere sibi visus est neque aequalium opprobria aut refutationem veritus neque existimans se quidquam contra veritatem committere, quae quidem, ut supra monuimus, apud antiquos ipsa per se non satis auctoritatis et momenti habuit, nisi cum aliquo secundario fine coniuncta esset. Quod autem de obsidione Plataearum diximus, idem valet de eruptione partis oppidanorum, quae

tam multa vero dissimilia continet, ut ad fabulas et hariolationes detrudenda videatur.

Haec si vere disputata sunt a Muellero, id quod nobis quidem indubitatum est, valde vacillat historicā Thucydidis auctoritas. Quis enim ei, quem in tam manifesto veritatis contemptu deprehenderit, credere volet alia licet fortasse vera narranti? Et profecto Muellerus in alias quoque partes operis Thucydidei suspicionem iacit et nominatim in rebus Corcyraeorum, quatenus a Thucydide enarratae sunt, multa parum credibilia relata esse accurata dissertatione demonstravit. Idem innuit etiam in expeditione Siliensi (libro VII) reperiri nonnulla, de quibus quis iure dubitare queat, quam tamen rem non excussit, sed verbo monere satis habuit. Mihi quidem ipsi etiam in rebus ad Pylum et circa Sphaerteriam gestis itemque in eis, quae de Delio Boeotorum memorantur (libro IV) non omnia ad normam veritatis exacta vindentur, sed in his quoque partibus nonnulla magis docendi causa exprompta esse, quam quod re vera ita accidissent. Neque tamen in ea altius inquirere volumus, id quod ne necessarium quidem dicimus, quia, si Plataearum historia fide destituta est, omnis Thucydidea de bello Peloponnesiaco relatio non poterit nisi aliquanta cautione adhibita in censum venire.

Sed quamquam haec ita se habent, tamen ego quidem cum voluptate libros Thucydidis evollo, quem hominem ingeniosum fuisse cum ceterae operis eius partes, tum maxime orationes, licet rhetoramicā Gorgianam redolentes atque a vere habitis orationibus et forma et argumento longissime distantes, apertissime declarant.

Iam Thucydidi valedicimus, propediem pauca de philosophia Platonis in medium allaturi.

Goritiae.

A. B.

#### AGRESTIS CRYPTARUM ROMANARUM MUSA

(Cfr. num. sup.)

Non meum est, sed rerum veterum studiosorum perpendere quanta auctoritate et veritate Damasi epigrammata emineant; diligenter enim pontificum tabularia, quibus fuerat ipse praepositus, perscrutatus, carnificesque ipsos nonnunquam ad parum nota audiens adiens, vera litteris religiose mandavit.

Sequitur, ut aliquantum saepe inter eius pauloque posteriorum poētarum narrationes intersit: hi enim, quum velint unice delectare, nonnulla vel ex arbitrio suo vel incerta fama fingunt; ille autem, parum delectandi studiosus, nisus haud dubiis testibus, vera

dixit. Qua de re in eius versibus laboravere Pagius, Ciacconius, Baronius, Tillemontius inter antiquiores, Marucchius inter recentiores, et ante eum Iohannes B. De Rossi, qui, Italiae decus, summo labore et prudentia multos lapides collegit per rudera elisos refecitque, et doctis commentariis instruxit, et Maximilianus Ihm, qui nuper epigrammata recensuit sapienterque adnotavit. Sed haec non meum sunt, qui potius vitia versuum non pauca inquiram.

Ut autem ad illud ieinitatis vitium, quod supra reprehendi, redeam, Damasus, quum sit pressus et adstrictus, fit saepe obscurus; dumque multa paucis reddere studet, res memoria dignissimas vix et maligno sermone significans, celare potius quam narrare videtur. Quid autem de locutionibus plurimis, quas saepius iterat, ut amputata fractorum lapidum epigrammata in integrum restituere possimus? Quid etiam de scabro illo praeruptoque sermone dicam, quo nonnunquam, aliquot versus aegre magnoque molimine struens, utitur? Quid denique de assiduo illo Vergilii imitandi studio, quo serviliter haeret in verbis, ac non decorum potius eiusque elegantiam conservat?

Verum si haec vitia per se ipsa minime removenda sunt, possumus tamen quodammodo iis ignorare. Quod enim attinet ad nimiam eius concinnitatem, brevium tabularum causa fortasse ei accedit, quae quidem facundiae et ingenio frena quaedam imponebant. Nihilo minus, quum martyres laudat recentiores, paulo largiore ubertate in dicendo utitur, quippe quorum res penitus didicerit. Ubi primum autem exilis poëta lepidam quandam et brevem locutionem assecutus est, illa postea nunquam abstinet, semelque atque iterum utitur. Huc accedit ut Damasus longum de martyribus carmen, quod nonnisi in doctorum manibus versaturum nullam populo christiano utilitatem laturum esset, minime componere voluerit. Laude igitur dignus humiles plebemque docere inglorius maluit, christianorumque animos in altum erigere, inter poëtas postremus, quam Prudentius antecessor, eruditissime tantum notus, iuxta Sedulum locari. Suumque finem ut melius assequentur, mea sententia, nonnullas locutiones, quae communis vulgaresque videntur quaeque in rudibus sacrarum epularum diversibus saepe fortasse eaedem iterabuntur, pluries repetit; in his: «regia caeli, pia regna, caelestia regna, foedera pacis, princeps mundi, crimina fere».

Praeterea, ut a populo audiretur, versus non chartis alexandrini, non membranis, sed tumulorum lapidis, sub imis cryptis, consignavit fido illi Dionysius Philocalo, cuius nomen Rossius in lucem prodidit, eos commendans ut amica manu in tumulos incidere, elegantique artificio litteras, in exilem lineam desinentes et rubro colore tinctas, adhiberet.

Quodsi saepe hemystichiis Vergilianis servilem in modum uitur, non Probæ Faltoniae exempla est secutus, quae summam in eo impedit operam ut *Vergilius* non mulier *cecinisse videatur*. Neque vero se abstinere potuit a persequendis Vergilii illius vestigiis, quem magnus ipsius amicus Hieronymus *non alterum sed primum Romae Homerum appellavit*. Quin etiam Aeneidis hexametros, quibus nihil potest inveniri perfectius, sibi ad imitandum propositi. At utinam hauisset heliconias e fontibus Vergilianis aquas, quo modo poëtae omnium et temporum et gentium ingenio praestantes, in primis nostrarum litterarum pater ille Alligherius! Sed Damaso, Vergilium quidem magistrum appellanti, gratiae agendae sunt pro exuvii saltem huc illuc in Aeneide arreptis, ut suam ingenii paupertatem indueret.



Neque haec satis; nostrum enim poëtam nonnullis quoque metrice artis vitis laborare est confitendum. Interdum namque occurrit versus, vel deficiente pede claudicans, vel modum ultra fas excedens, vel etiam caesura vel alicuius sillabae falsa quantitate peccans. Horum vitiorum ut exemplum producam, sancti Tarisci laudes vide, septimoque quodam et supervacaneo pede secundum versum peccare intelliges. Quod quidem antiquiores, illius reverentia adducti, culpae eorum, qui nobis versus, quum infideliter trascripsissent, adulteratos prodidissent, vertebant. Nunc autem fragmenta lapidum legentibus vitia Damasiana non excusata in conspectum veniunt.

Attamen qui epigrammata in tenebrosis cuniculis interpretetur, ubi omnia arcana, ubi etiam vel alarum ictus vel errantis vespertilionis stridor terrorum iniicit, quippe quem incredibile visum ac divinum maneat, molle quiddam ea sapere et sacrum, magna vi animos movere, necesse est dicat. Priorum vero aetatum christiani, quum diebus festis cryptas essent ingressi piasque illarum latebras inviserent, in utraque cuniculorum parte lapides in parietibus inscriptos mirabantur, et qui martyres fuissent quaeque gessissent singuli, Damasi versibus noverant. Unde praesertim grandia praecipiebant exempla omnemque Evangelii disciplinam; quia lapides, quasi vocales facti, christianos docebant fidem, vitae sanctitatem, rerum humanarum contemptum, magnam erga inopes misericordiam, summam erga Deum pietatem. Haud aliter fiebat, ac si romanus, via Appia Brundisium iter faciens, ex Urbe, in utroque viae latere monumenta, hedera, annis, gloria onusta, viris constituta aspexerit, qui rem publicam virtute et animo condidissent. Quorum nomina resque secum quisque reputans, animum attollebat, quumque illorum gloriae quasi particeps et conscientia aemulatione

fieret, auctis tantis exemplis animi viribus, se quoque magnis rebus non imparem putabat.

Huiusmodi beneficium filii attulit Damasus papa. Multis enim licet cedat et verborum ubertate et rerum imaginibus et ingenii celeritate, nec soli Prudentio, sed Paulino etiam Nolano, Ausonii dulcissimo discipulo, Sedulio, ceteris inferior dicendus sit, qui quidem omnes non incomptis poëticæ artis vireribus plus apud nos valent; nemo autem unquam optimo munere, quod Aristophanes, clarissimus ipse poëta, quondam vatibus omnium aetatum vulgo descripsit, plenus functus est: «*ὅτι βελτίους τε ποιῶμεν τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσιν*» scilicet monere cives melioresque efficere. — Quibus diligenter perpensis, paulo severiori sententiae, quam in eum iuxta recentius illud praeceptum «artem arti» feramus, quem fere nauci eius versus non faciamus, temperandum.

Venerande senex! Trementes artus baculo sustinens mihi Musam convenire demisso et supplici animo videtur, in qua quoque iam diu deferuit adolescentia, vesteque tamen vergiliana illa indutam, quae quondam eius praecaram speciem ornavit, nunc vero ex artibus extenuatis et confectis undique defuit. At matrona, generis antiquitate veneranda, senis adventu delectatur, blandisque illius patris verbis, qui, filiorum mortuorum amantissimus, eos supremis officiis prosequi vult elogiaque in sepulcris incidere, vix sibi temperat quin lacrimet, opemque solaciumque pro viribus et pro temporibus illi ferens, voti compotem facit, nugis quidem rhetoriciis praeter morem, quippe cuius animus penitus sit commotus, se abstinentia.



Sunt qui, ut Teuffelius in sua litterarum romanaum historiæ, ut M. Ihm in Museo Rhenano (vol. L), Damasum incusent, quasi maiora concupiscat nomen iactanter carminibus subscribens. At si ille humilium sibi epigramma conscripsit, elatius se gerere non poterat, magnos sibi spiritus sumens nomenque suum ipse posteris praedicans. Cuius autem rei causa, vel a sua ipsius erga martyres pietate in exemplum proferenda, vel a proposito et licentiam fidelibus dandi ut martyres parum notos excolerent, et res descriptas teste fide digno veras comprobandi, est repetenda. Vir minime ambitiosus, quem catholica Ecclesia in numerum sanctorum adscripsit, suaem magnæ mediocritatis conscientis, demissa principis Apostolorum verba mutuari potuit «Quod habeo, tibi do».

Admirantes igitur Damasi versus in cryptis, veluti assem evangelicae illius mulierculæ in ima templi Iehovae gaza, probemus quidem Hieronymi sententiam: «elegans in versibus componendis ingenium habuit», spectantem autem ad versus de vir-

ginitate juveniles, quos ille cognovit, nos ignoramus; probemus sane iisdem condicionibus pauloq[ue] te[n]uantes Tillemontii sententiam: «*il avait beaucoup de génie pour la poésie*», qui, nonnulla addens, eadem fere dicit atque Hieronymus, tum quod ab eo dissentire noluerit, tum quod illius sententia carmina quoque meliora, certo recentiorum existimantium iudicio pseudodamasiana, sit complexa. Crimini dare nolo et antiquæ artis studiosis et christianis rerum auctoribus nostræ aetatis, quod reverentia quadam adducti idem sentiant atque Hieronymus Tillemontiusque. Verum, quod ad epigrammata tantum pertinet, in Maximiliani Ihm sententiam concedo, qui in Museo Rhenano (l. c.) se «loqui non posse vel de rerum vel de verborum elegantia» asserit (1), et in libri praefatione, quem iam supra commemoravi, haec habet: «Cuius elegantiae re vera vestigia adsunt, quippe quum elegantem poëtam sit imitatus, Vergilium... Minime vero veri poëtae nomen meruit, id quod clamat carminum indeles, in quibus facile desideraveris non quidem studium brevitatis pietatisque nec speciem quandam artis ad Vergili ex exemplum formatae, sed ingenium sollertiaque ad inveniendum acutam varietatemque colorum atque spiritum vere divinum: formulas enim locutionesque iterare solet, ut taedium paene adferat legentibus».

JOSEPH TREZZA.

(1) Sum quidem in eadem M. Ihm sententia de Damasi arte; verum illi non semper adstipular de ratione ac via in integrum epigrammata mutila restituendi: quin etiam in lucem editurus sum libellum in quo e diversis sententias a Bossio, a Buechelero, a Precio, a Gallandio, a Rivino, ab Ihm, a Marucchio, a ceteris prolatis ad fidem propiores eligo, epigrammata addens italicis versibus redditum.

## DE S. BASILIO MAGNO DOCTORE

Gallus historicus eximius Paulus Allard inter recentiores optime illustravit Basilii illius doctoris gesta, qui ante episcopalem curam atque apostolicos labores vel a iuventute cognomine Magni distinctus est. Atque iure quidem: citissimo enim ascensu Caesarense ille ex libris ad sacra rostra elatus est, quum ad dicendi artem eum natura impelleret et, contra Tullii sententiam, ipsa quoddammodo eum faceret oratorem; cui multa quae disseruit innumerabiliaque quae fideles docuit, temporis quoque conditio necessitatesque ad suadendum accesserunt.

Itaque ex sacrarum rerum studiis acriter funditusque persolutis, Basilii vita omnis tum circa mentem tum circa mores formam sumpsit; quod inter tot atque tantas aetatis sua disputaciones de sacris disciplinis, necessarium esse ipse cito cognovit; nam in tanta animorum discordia atque inter tot fervidas disceptationes aequum animi modum servare novit

esse difficillimum. Ea enim aetas erat, qua gentium philosophia supremam pugnare pugnam cum fide christiana unguibus et rostris cernebatur. Haec vero etsi ubique gentium contingenter, in iuvenum tam athenaeis acerrima certamina erant. Siquidem Apóstatae Iuliani Caesaris illius conanima per academias atque lycea viva adhuc latebant. At Basilius philosophia Graecorum ita usus est, ut quasi mentium victor et dominator brevi videretur. Quod enim maximum fuit, ethnicorum fabulae ad iuvenis mores corrumpendos parum potuere.

Duo itaque eam semitam tunc Athenis gradiebantur tuto gressu iuvenes arctissima inter sese amicitia devincti, Basilius noster atque Gregorius Nazianzenus. Qui a paganorum tumultu et corruptione secedentes humili vita vivebant et amicorum quoque plausum detrectabant.

Sed, ut ipse fatetur, parum abfuit, quin in studiorum solitudine laborem omnem superbiae virus corrumperet, quae eo perfida magis est, quo intiuimus in animo reconditur.

Macrina soror fratri succurrerit sanctissima custos; qui eius monitis illustratus, domesticum hostem totis viribus propugnavit. Ea victoria denique firmatus baptismi aquis regeneratus est, quas tunc temporis consuetudo invaluerat non, ante quintum lustrum, accipiendi.

Inde obsequens divinae voci suam instaurare vitam ex imis fundamentis Basilius visus est. Quam rem eloquentissima voce sua, ipse explicat. Fatetur enim se primam iuventutem vanæ sapientiae adipiscendæ tradidisse. Ex ea cura, divino nutu, veluti ex sommo excitatum sese affirmat et ex Evangelii lumine vacuam nimis philosophorum scientiam passimque peritum persensisse. Quo dolore inde sit percitus multis verbis ipse saepe enarravit; fassus est pariter totis viribus ea ex die in caelestia studia contendisse.

Moribus animi primum instauratis, perfectionis viam ingressus est iuxta Evangelica consilia audacter. Quare venumdatis familiaribus bonis atque in pauperes erogatis, in solitudinem Annesensemcessit, ubi in labore manuum, in oratione multa, in divinis litteris ad sacerdotium sese paravit.

Magna vero expectanda ex viro erant, qui tot ornatus dotibus ad altare accedebat. Haeresibus flagrans aetas quasi medenda divino consilio per eum apparebat. Quod augustissimum profecto ministerium cum omnium laude quum esset emensus, designari brevi ad episcopalem cathedram meruit. Eius vero electio non sine acerrimis luctis peracta est, quae primos praesertim episcopatus annos valde agitarunt. At prudentia viri sancti eximiaque caritas animos et odia optime tandem composuit.

Qui tamen maximus eius labor censendus est, is Ecclesiae tutela fuit contra Valentem, Arianum impe-

ratorem, sibi commissae. Qui etsi vi maxima in eum inveheretur eumque in exsilium usque pepulisset, fortitudini tamen eius tandem aliquando concessit.

Profecto prima Christianæ Fidei aetate episcoli vita tot laboribus occurrebat, quos vix hodie sit enumerare datum. Certe indefessam navare operam ei oportebat, et caritatem inexhaustam; in quibus plane Basilius vitam omnem suam absumpsisse dici potest.

Caesariensis vix factus antistes, ad sedandum in Cappadocia civile bellum acerrimum ille vocatur. De non resecandis itaque regni provinciis eloquentissime ille scripsit et loquutus est, sed Caesaris avaritia episcoli studium et industria nullimode audivit.

Exinde ad sui cleri mores ritusque instaurandos conversus, calumniis invidiaeque, ut assolet, obnoxius fuit, adeo vana tamen, ut memoria eius vel ad ultimos nepotes sancta traderetur.

De vita monachorum ita eloquenter scripsit, ut legentes vehementer in solidinitis amorem commoveret. Homilias sermonesque reliquit innumeros, qui ad medendos animos tum sententiis tum verbis apprime pollut. Nam, ut erat pariter sacris profanisque disciplinis imbutus, ita sanctissime simul et dilucide dicere et utile dulci miscere mirum in modum callebat.

Oratorem eum maximum haec fecerunt, quem non iniuria cum Isocrate quidam compararunt. Basilius enim cum Nazianzeno Gregorio cumque Ioanne Crysostomo aureum eloquentiae sacrae saeculum creasse dicitur.

Sermones, praesertim quos de *Exameron* libro scripsit, concinni videntur et ad plebium animos erudiendos mire potentes. Quos, etsi non adamussim iterare hodie nostris coram auditoribus opportune sacerdos queat, maxima tamen cum utilitate ipse evolvet, praesertim si Basilius legens sacra quoque volubilia præ manibus habeat, unde potissimum Cae-sariensis episcoli eloquentia derivata est.

I. C.

## VOX URBIS PALAESTRA

Hernestus Schmitz  
Commentarii Vox Urbis Moderatori s. p. d.

Ex linguis neolatinis quaenam esset matri latinae similiors multoties quæsitus est. Ratio dignoscendi quaestionem ac dirimendi mihi quidem haec esse videtur, ut homines istarum linguarum tentent argumentum quodlibet tractare sua quaque lingua, sed hoc modo, ut tractatio non solum «adspectum vere latinum» conservet, sed etiam singulæ voces «eandem significationem eandemque accentum» ut in

lingua latina. Quum autem *Vox Urbis* nostra socios et lectores multos habeat in Italia, in Hispania, in Rumania aliisque locis linguae neolatinae, eos ad certamen de hac quaestione provocare in ipsius palestra omnibus patente placet.

Ut autem ipse primus in arenam descendam pro Lusitanica lingua, tentamen ecce dictionis, certe minime elegantis, nec classicum stylum redolentis, sed proculdubio a grammaticis tum Latina tum Lusitana parum alienae, atque conservatis eodem accentu eademque significacione uniuscuiusque vocis. Numquid hispanico, italicico aut alio sermone simile quid facile redigi poterit?

#### *Lingua lusitana, lingua nobilissima!*

O gloriosa lingua lusitana, tu es quasi latina! Recusas sinceros favores meos? Quam magnifica tua historia! Quantos triumphos proclamas!

Tuas adversarias contemplas victoriosa.

Quam excellentes poetas inflamas! Quam insignes cantores inspiras!

Tu amas tragedias, Musas plangentes; tu exultas auscultando Musas heroicas, lyras dulcisonas.


Es mel, quando placida oras; es fel, quando iracunda contra iniurias protestas.

Quando es tranquilla, flores abundantes divulgas, harmonias mellifluas cantas.

Quando es offensa, repulsa, maxime contra titulos iustos, tu ferces, tu ardes, tu mordes indomita.

Applaudo tuas victorias. Ante glorias tam puras me inclino. Contempla benigna quem incantas tanto! Lingua lusitana, salve!

Hierosolymis, d. iv mens. Maii MCMIX.



#### COLLOQUIA LATINA

##### *Cantus musicus* (1).

- SABINUS. — Auditione accepi, te in ludum itare musicum, Crescenti.  
CRESCENTIUS. — Mene? Audisti vera.  
S. — Quoties per hebdomadem?  
C. — In dies singulos.  
S. — Qua hora?  
C. — Dnodecima.  
S. — Utrone pater voluit, an tu ab eo precibus id extorsisti?  
C. — Exoravi patrem; nec muto factum.  
S. — Cur, quaeſo?

(1) Ex IACOBO PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis*, passim retractavit L. F.

- C. — Quae hunc intemperiae tenent? Haben' tu aures, an auriculas tantum?  
S. — Enimvero habeo aures, nisi eas hoc temporis articulo perdiderim.  
C. — Quid ergo interrogas, cur discam canere?  
S. — Non absurde id quaero.  
C. — At ego dico, absurdissime. Quid enim musica dulcior? quid illa sonorum temperatione auribus gratius aut iucundius?  
S. — Scire fidibus (quod ingravescenti iam aetate Socratem philosophum didicisse fama vulgavit), et canere cithara, testudine, barbito, multo esse suavius quovis pignore contendam; at de vocibus, libentius audierim Sirenas, aut lusciniolam, aut cygnum in morte canentem:

*Dulcia detecta modulatur carmina lingua  
Cantator cygnus funeris ipse sui.*

- C. — Ista reprehensio inscitiam tuam coarguit: nam si musicam scires, nunquam facultatem nobilissimam in vituperationem adduceres.  
S. — Non diffitebor me artem hominum feriotorum, languentium et nihil agentium ignorare. Aures permulceret illa quidem; in animo voluptatis nihil relinquit ut litterae.  
C. — Necesse non est, si litterae sunt bonum, musicam esse malum: nec si illae plus prosunt, ideo hanc nihil prodesse.  
S. — Acumen dialecticorum. Patet tamen in musica nimium deditos, esse idiotas fere, et....  
C. — Haud me dedam immoderate; non dico amplius.  
S. — Nolim ego tempus disperdere in repetendis, et usque ad nauseam pene audiendum recantandis per dies integros hisce syllabis, *ut, re, mi, fa, sol, la, si...* Praeterea in ligaturis, fugis, cantibus naturalibus, consonantias perfectis, imperfectis, resolutionibus, diminutionibus, diapente, diatessaron, et similibus tricis.  
C. — Mihi relinque istas tricas, et perpende in quos hoc maledicti conferas.  
S. — In neminem.  
C. — In multis praestantissima dignitate, et in excelso aetatem agentes viros, qui animos pondere curarum lassos, cantiunculis remittunt ac revealant. Sanctarum litterarum summa est auctoritas, qua commendatur musica.  
S. — Novi tamen clarissimos gravissimosque viros, qui ne ponantur in suspicione levitatis, canere quum sciant, cantu consulto abstinent.  
C. — Facesse hinc, Mome; tempus est in ludum eundi. Vale.  
S. — Ito, ito, et bonas horas male perde. Canta ab usque mane ad vesperam; canta in somnis quoque.  
C. — Et tu, quoad lubet, in caelum iaculare.

#### PAROEMIAE SIVE ADAGIA


##### *Servire scenae.*

M. Tullius servire scenae dixit pro eo quod est servire tempori et rebus praesentibus sese accommodare. Translata ab histriobus fabularum metaphora, qui non suopote iudicio agunt, sed hoc unum spectant, ut quovis modo populi oculis placeant, aliqui explodi exhibilandique. Sic enim scribit ad Brutum: « Tibi nunc populo et scenae, ut dicitur, serviendum est, nam in te non solum exercitus tui, sed omnium civium, ac poene gentium coniecti sunt oculi ». Quadrabit etiam in eos, qui negotium aliquod suscepunt illustre, unde necesse sit aut cum summa laude aut summa cum infamia discedere propter plurimorum exspectationem.

Porro tempori serviendum esse viro sapienti monuit et Phocylides, cuius verba latine sonant:

*Temporibus semper cautus servire memento  
Nec restare velis adversum flamina venti.*

Quae quidem metaphora ducta est a navigantibus, quos necesse est, semel ingressos mare, ventorum atque aestus arbitrio ferri, frustra conatuos si ve- lint adversus ista pugnare.



Tonsor.

eiusdem erat artis, manebat apud eos et operabatur (erant autem scenofactoriae artis) (1). Praecipua autem vitae exercitatio apud antiquos monachos etiam labor fuit manuum, in quo apostolorum exemplo ducebantur: « Tunc veri monachi sunt — ait S. Benedictus in sua Regula — si labore manuum suarum



Faber ferrarius.

#### DE EPITAPHIIS ARTIFICES RESPICIENTIBUS IN CHRISTIANORUM COEMETERIIS (1)

Tanta fuit Christianis cum ethniciis convivendi necessitudo, tamque inter utrosque arctum commercium, ut prope non fuerit apud antiquos ars ullam quam Christiani non exercuerint. Scimus vel a circensisibus periculis Christianos non abhoruisse; Tertullianus vero, in suo *Apologeticum* (2), excessus tantum etabus a Christianis vitari aiebat: « Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, officinis, stabulis, nundinis, vestris, ceterisque commerciis cohabitamus in hoc saeculo; navigamus et nos vobiscum, et militamus, et rusticamur, et mercamur, proinde miscemus artes, opera nostra publicamus usui vestro ».

(1) Editori humanissimo debemus, quod in nostro commentario has paginas ex altero P. Xysti O. C. R. notionum archaeologiarum Christianarum volumine excerptas, nuperrime vulgato, lectoribus nostris offerendi potestas fuerit. Prima haec alterius voluminis pars *Epigraphiam respiciat atque in novem capitula distribuitur*: I. Inscriptiones certa temporis nota muniae. — II. Criteriae chronologica. — III. Epitaphia Christiana dogmata significantia. — IV. Hierarchia. — V. De epitaphiis cognationem et familiam respicientibus. — VI. Inscriptiones sacrae. — VII. Damasciana carmina. — VIII. Inscriptiones quae Italice dicuntur « graffiti ». — IX. De operum doliarium sigillis. Accedunt Prolegomena, Index topographicus, Consululum Caesarumque Romanorum ac Pontificum Christianorum series; quae novum etiam hoc clarissimi auctoris opus perfectum et ex omnibus partibus reddunt absolutum.

(2) TERTULL., *Apol.*, XLII.

vivunt, siue patres nostri et apostoli » (2). Quaedam anni CCCXLII inscriptio habet: *Deposio (depositio) Iuniani pri. idus apriles Marcellino et Probino cons[iderant] qui bixit annis XL in pace decisis et amator pauperum bixit | cum Brignia annis . XV . benemerenti birginia sua Bictora | benemerenti fecit amatrix pauperum et operaria* (3).

Istud vero operarii vel operariae nomen, quod Christianis honori, Romanis e contra despectui erat, testantibus illis Ciceronis verbis: « An quidquam stultius, quam, quos singulos sicut operarios barbarosque contemnas, eos esse aliquid putare universos? » (4).

In coemeteriorum epitaphiis, ars a defuncto quondam exercita vel inscriptionis verbis, vel huiusce artis instrumentis tabulis sepulcralibus incisis, significabatur. Sic hortulanorum, pomariorum, fabrorum, capsariorum, laniorum, confectoriariorum, porcinariorum, linteariorum, marmorariorum, tabellariorum, iuriconsultorum, medicorum, etc., nomina aut indicia inveniuntur. Nec desunt milites, veterani, tribuni, campidoctores, centenarii; nec protectores, domestici, fabricenses, cubicularii, qui omnes ad palatium vel personam principis addicti erant; nec denique ipsa

(1) *Act.*, XVIII, 8.

(2) *Regula S. Benedicti*, c. XLVIII: *De opere manuum quotidiano*.


(3) DE ROSSI, *Inscr.*, t. I, n. 82.

(4) CICERO, *Disp. Tusc.*, c. V, 86.

civilia aut publica officia, ut commentariensis, librarii, libellarii, arcarii, sarcinarii, praepositi tabernaculorum, magistri ludi litterariorum, etc.

Quaedam inscriptio medicum cui *pneumatici* titulus adscribitur nobis praebet; de eorum scilicet ille erat schola, qui spirituum vitalium, ut aiebant, actioni universos tribuebant morbos.


IATPOI autem illi potissimum dicebantur qui chirurgicam exercebant artem; unde tam in picturis



quam in inscriptionibus cum scalpellorum cultellorumque theca repraesentatur, sicut Lucas Evangelista pingi solitus erat.

Non raro operarius in ipso artis suae exercitio describebatur; vide plura exempla, quae oculis heic subiicimus.

Etiam causarum patrocinatores, seu advocati, inter primaevos fuerunt Christianos, quod tamen ex historia potius quam ex epitaphiis eruitur. Advocatus ille fuit Minucius Felix, quem libri cui *Octavius* est titulus, omnes auctorem agnoscunt. «Minucius Felix – ait Lactantius – non ignobilis inter causidicos fuit» (1); et Hieronymus: «Minucius Felix Romae insignis causidicus» (2). Advocatus fuit quidam Vettius Epagathus, qui anno CLXXVII Lugdunensium fidelium defensionem, magno animo, ante tribunal se assumpturum declaravit (3), quique deinde, quod se Christianum esse fateretur, accusatis adnumeratus est (4).



Faber lignarius.

Advocatus forsitan, aut rectius iurisperitus, fuit Tertullianus; certissime vero Cyprianus, Arnobius et Lactantius (5).

(1) LACT., *Dicit. instit.*, I, V, e. I, P. L., t. VI, col. 55.

(2) HIERON., *De vir. illustr.*, 58.

(3) EUSEBIUS, *Hist. Eccl.*, lib. V, in *Prooemio*; P. G., t. V, col. 1416.

(4) EUSEBIUS, *Loc. cit.*; P. G., loc. cit., col. 1417.


(5) Cf. DOM. CABROL, *Dictionnaire d'arch. chrét. art. Avocats*. — Ceterum Christianos aliquot, saltem a saeculo tertio, indicum advocatorumque functos esse numeribus, e Commodiani quibusdam verbis patet, quibus ad eorum culpas praevaricationesque evidenter alludit. (*Carmen apologeticum*, vv. 582-599; *Instruc.*, I, I, e. XXXI, lib. II, c. XXIX). Advocatos insuper et medicos Christianos fuisse et Arnobius testatur, quum dicit neandum barbaros, etiam «magnis ingenii praeditos». Christianam professos fidem esse, nempe «oratores, grammaticos, rhetores, consultos iuris ac medicos». (*Contra gentes*, lib. II, c. V, P. L., t. V, col. 810).

Verum, sicut in ethnicis, ita in Christianis epitaphiis rara advocatorum mentio occurrit, eaque senior. Omnia antiquissima primam saeculi quarti partem respicit et in Domitillae coemeterio invenitur. Certum est, iam inde a saeculi quarti initio collegia exstisset advocatorum; quae quidem institutiones antiquiores hoc saeculo videntur; at non apparent collegia eiusmodi inter sodales dumtaxat Christianos ante illud tempus constituta fuisse. Quod vero de advocationis negandum videtur, de quibusdam operariis classibus admittere cogimur.

Quae sequitur tabula pistorem quemdam Maximum repraesentat, «amicum omnium». Pistorum mentio haud raro in epitaphiis Romanis occurrit, nec deest in ceteris Christiani orbis regionibus. Pistorum collegii erat veluti insigne modius, et ideo saepe eius



Pistor amicus omnium.



Instrumentum musicum.

figuram in epitaphiis cernimus, praesertim in titulis ad coemeteria apud vias Ostiensem, Ardeatinam et Appiam sita pertinentibus. Coemeteria enim harum viarum, maxima ex parte, in prima iacent regione ecclesiastica quae civiles Urbis regiones XII et XIII complectebatur, ubi horrea erant; proindeque ipsum vocabulum *Horrea*, quasi nomen, illas indicabat regiones (1).


Utrum vero pistores Christianum quoddam funeraticum collegium constituerint, veri est simillimum, licet non omnes pistores eiusmodi collegio ad sociati essent. Eiusmodi vero collegiorum indicia non parva in picturis inveniuntur. Certo collegium exstitit doliariorum, et tamen dolia ubique repraesentata inveniuntur, quae quidem plerumque artem defunctorum, non autem, ut quidam elapsae aetatis archaeologi docuere, symbolicam seu mysticam adumbrant cogitationem (2).

P. XYSTUS O. C. R.

(1) Cf. DE ROSSI, *Le «horrea» sotto l'Aventino e lo studio «annonae Urbis Romae»* ap. *Annali dell'Istituto*, 1885, p. 229 sq.

(2) Duxi plerumque, nam aliquando revera aliam profecta figura dolii significacionem tum in ethnicis tum in Christianis sepulcris, nec raro ipsa ut simplex decoratio haberi debet, praesertim in sarcophagi. Ceterum Patres, praeceps saeculi IV, varie de dolii symbolo loquunt sunt, et quamvis nihil certi de hoc dicere ausim, nihilominus aliud interdum quam artem doliarium eius figuram significare haud dubium dicendum. Quod tandem de dolio, idem nequam de modo affirmare; neque in ullo casu admittenda videntur ea que de Maximini relato epitaphio egregius Lupi scripsit, quod nempe figura pistoris virgam dextera gestantis ipse repraesentetur Christus, «quem Maximinus hic sperat redditum sibi e sepulcro prodeundi mensuram plenam, confortans, coagitatam et superaffluentem. Fortasse etiam, ait ipse auctor, spicæ illud alludunt ad granum frumenti, quod, quum mortuum fuerit, multum fructum affert». (Cf. WILPERT, *Le pitture delle catacombe*, testo, pp. 485 sq.; DOM. CABROL, *Dictionnaire d'arch. chrét. et de lit.* etc., art. *Annonae et Boisseau*).

## OB QUINQUAGENARIA SOLLEMNIA PONTIFICII URBANI COLLEGII CIVITATUM FOEDERATARUM AMERICAE SEPTENTRIONALIS



Pont. Urbani Collegii Civ. Foed. Amer. Septentr. prospectus ad occidentem versus.



Pont. Urbani Collegii Civ. Foed. Amer. Septentr. coenaculum.

(Photographice expressit nobisque ultro obtulit HENRICUS FILIZIANI eques).

### PIUS PP. X

Pont. Urbani Collegii Foed. Civ. Amer. Septentr. iubilaeum

VENERABILI FRATRI

THOMAE EPISCOPO TIT. ADRIANOPOLITANO

RECTORI COLLEGII

FOEDERATARUM AMERICAE SEPTENTRIONALIS CIVITATUM

PIUS PP. X

VENERABILIS FRATER

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Exeunte anno quinquagesimo post conditum Collegium, cui tu tam sapienter praees, gratum Nobis est, quod signicas de solemnis, quae in proximos dies celebrare constituistis. Nos quam istud Collegium habeamus carum, non te fugit; qui plus semel Nos audisti, quum diceremus valde Nobis probari fructus

uberes, quos peperisset vel sanae eruditionis, vel sanctae disciplinae. Etenim in foederatis civitatibus superioris Americae quum prosperus, divino beneficio, sit rei catholicae status, ad eum parandum sane non parum contulit romanum hoc pietatis doctrinaeque domicilium: ubi adolescentes delecti, advigilante Iesu Christi Vicario, rite exulti sunt in suarum spem dioecesum, qui deinceps in omni sacri ministerii genere sese utilissime exercuerunt. Horum bene multos, ex eisque Archiepiscopos et Episcopos non paucos mox, ut intelligimus, faustus iste eventus Romam evocabit, ut tecum et cum alumnis tuis communem agant, gratulantes Deo, laetitiam. Itaque laetitia vestrae Nos venimus in partem perlubenter: quumque gaudemus, optimum Institutum et opinione bonorum, et crescente in annos singulos alumnorum numero, florere; tum divinae benignitatis eidem opem precamur, unde Romani Pontificis et Venerabilium ex America Fratrum cumulate satisfacere votis perseveret. Auspicem divinorum munierum, ac testem singularis

benevolentiae Nostrae, tibi, Venerabilis Frater, Collegio tuo et omnibus, qui eius solemnibus interrunt, Apostolicam benedictionem amantissime imperitum.

Datum Romae apud S. Petrum die 11 Junii MCMIX,  
Pontificatus Nostri anno sexto.

PIUS PP. X.

## PETRI ANGELINII CARMEN

*Alma, romano celebranda plectro,  
cinge vinctrices, America lauros;  
sparge sub clivo veteris Quirini  
serta rosarum.*

*Nonus hanc sedem Pius excitavit,  
hoc tuæ pubi posuit viretum,  
dum referat Magnae sine labe Matris  
festa December.*

*Cuius afflato rutilantis astri,  
et Petro densam vigilante saepem,  
pullulant stirpes, patulisque nigrant  
aethera ramis.*


*Albicant velis inarata dudum  
aequora et sacras revehunt phalanges,  
laeta ducentes latiis ab oris  
germina vitae.*

*Umbra divini Liguris, decoram  
efferens frontem tumulo, diei  
huius auroram crocea nitentem  
luce salutat;*

*Et novum late speculatus orbem,  
— O meis, inquit, sata Terra curis,  
gentibus venas reserabis auri,  
mellaque fundes;*

*alta tentanti potiere saeclo,  
delphico pacis redimita serto;  
signa trans latas agitabis undas  
libera semper,*

*si meo Lignum positum lacerfo  
stabit, ac pulsu sine sorde Matris,  
Urbe deductae referent cohortes  
munera Christi.*



## ACTA PONTIFICIA

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X litterae encyclicaes octavo exeunte saeculo ab obitu S. Anselmi doctoris.

((Cfr. num. sup.)

Fuit igitur in eo admirabilis quaedam earum partium conspiratio et consensus, quas plerique falso arbitrantur secum ipsas necessario pugnare nec ullo pacto posse componi; nudo candori consociata granditas, animo excuso modestia, fortitudini suavitatis, pietas doctrinæ; adeo ut, quemadmodum in instituti sui tirocinio, ita etiam in omni vita, *murmur in modum tamquam sanctitatis et doctrinæ exemplar ab omnibus haberetur* (1).

Neque vero duplex haec Anselmi laus intra domesticos parientes aut magisterii se fines continuit, sed, quasi e militari tabernaculo, processit in solem et pulverem. Nam et enim quea diximus tempora, pro iustitia et veritate fuit ei dimicandum acerime. Cumque naturae vi ad ea studia ferretur maxime quea in rerum contemplatione versantur, in plura et gravia negotia coniectus est, et, sacro assumpto regimine, in medium devenit rerum certamen atque discriimen. Et qui miti ac suavi erat ingenio, studio tuendae doctrinæ ac sanctitatis Ecclesiae compulsus est a tranquillae vitæ incunditate recedere, principum virorum amicitiam gratiamque deserere, dulcissima vincula, quibus cum sodalibus religiosæ familie sociisque laboris episcopis iungebatur, abrumptæ diuturnis conflictari molestias, omne genus angustiæ premi. Gravissimis enim odiis ac periculis circumseptum locum expertus est Angliam, ubi enixe illi obsistendum fuit regibus ac principibus, quorum arbitrio erant Ecclesiae sortes gentiumque permissæ; ignavis aut indignis officio sacro ministris; optimatus plebique rerum omnium ignaris atque in pessima quaeque vitia ruentibus; immuno nunquam ardore, quo fidei, morum, Ecclesiae disciplinae ac libertatis, eiusque propterea doctrinæ ac sanctitatis exstitit vindex; plane dignus hoc altero memorati Pascalis praeconio: *Deo autem gratias quia in te semper episopalis auctoritas perseverat, et inter barbaros positus, non tyrannorum violentia, non potentum gratia, non incensione ignis, non effusione manus a veritatis annuntiatione desistis. Et rursus: Exsuttamus, inquit, quia gratia Dei tibi praestante auxilium, te nec minae concutunt nec promissa sustollunt* (2).

Ex his omnibus, Venerabiles fratres, aequum est Nos etiam cum Decessore Nostro Paschali, lapsis ab illa aetate saeculi octo, laetitiam percipere, eiusque voci resonare, gratias Deo persolventes. Simul vero cohortari vos iuvat ad hoc sanctitatis doctrinæque lumen intuendum, quod, in Italia ortum, Gallis affulit plus annos triginta; Anglis supra quindecim; Ecclesiae denique universæ communī præsidio ac decori fuit.

Quod si opere et sermone excelluit Anselmus, hoc est, si vitae pariter doctrinæque palaestra, si contemplandi vi et agenti alacritate, si dimicando fortiter et sectando pacem suaviter, splendidos Ecclesiae triumphos comparavit et insignia in civilem societatem beneficia contulit, haec omnia ex eo sunt repetenda, quod in omni vitae cursu doctrinæque ministerio Christo et Ecclesiae quam firmissime adhaeserit.

Haec mentibus defigenda curantes in tanti Doctoris commemoratione solemnii, præclara inde hauriemus, Venerabiles

(1) *Breviar. Rom.*, d. xxi mens. Aprilis.

(2) In lib. III. Epist. S. Anselmi, ep. 44 et 74.

Frates, et quae admirremur et quae imitemur exempla. Plurimum quoque ex ea contemplatione accedit roboris ac solatii ad sacri ministerii partes, arduas plerumque ac sollicitudinis plenas, viriliter explendas, ad impense curandum ut omnia instaurentur in Christo, ut in omnibus *formetur Christus* (1), maxime in iis, qui in spem sacerdotii succrescant; ad constanter propagandum Ecclesiae magisterium; ad obnubendum strenue pro Christi sponsae libertate, pro sanctitate iuris divinitus constituti, pro iis denique omnibus, quae cumque sacri Principatus defensio postulat.

Nec enim vos latet, Venerabiles Fratres, quod saepe Nobiscum complorastis, quam tristia sint in quae incidunt temporæ, et rerum Nostrarum quam sit iniqua conditio. Ipsius doloris, quem ex publicis infortuniis incredibilem cepimus, refricatum est vulnus probrosis criminacionibus clerico conflatis, quasi segnem adiutorem in ea se calamitate praebuerit; interictis impedimentis ne benefica Ecclesiae virtus patet miseris filiis; eius ipsa materna cura et providentia contempta. Alia plura silemus, quae in Ecclesiae perniciem aut versute et callide agitata sunt, aut nefario ausu patrata, publici violatione iuris, atque omni naturalis aequitatis et iustitiae lege despacta. Idque iis in locis accidisse gravissimum est, in quae illatae ab Ecclesia humanitatis abundantior amnis influxit. Quid enim tam inhumanum quam ut e filiis, quos Ecclesia quasi primogenitos aluit fovitque in ipso suo vel flore vel robore non dubitent quidam in Matris amantissimæ simum sua tela convertere? — Nec est cur admodum recretet aliarum conditio regionum, ubi varia quidem belli facies est, furor idem, aut iam exardescens, aut ex occultæ coniurationis tenebris mox erupturus. Hoc enim est consiliorum ultimum, apud gentes in quas maiora christiana religionis beneficia promanarunt, omnibus iuribus Ecclesiam despolare; cum ipsa sic agere, quasi non sit genere ac iure perfecta societas, qualem naturae nostræ Reparator instituit; huius regnum excindere, quod etsi praecipue ac directo animos attingit, hand minus ad horum sempiternam salutem quam ad civilis utilitatis incolumitatem pertinet; omnia moliri, ut imperantis Dei loco effrena dominetur, mentito libertatis nomine, licentia. Dumque id assequantur, ut per dominatum vitiorum et cupiditatum pessima omnium instauretur servitus, ac praecipi cursu cives ad extrema delabantur; — miseros autem facit populos peccatum (2), clamitare non cessant: *nolumus hunc regnare super nos* (3). Hinc religiosorum sodalium sublatæ familiae, quae magno semper Ecclesiae præsidio atque ornamento fuerunt, et humanitatis doctrinæque sive inter barbaras gentes sive inter excultas provehendæ principes extiterunt; hinc prostrata et afflita christianaæ beneficiæ instituta; hinc habitu ludibrio sacer ordinis viri, quibus aut ita obstitutur ut eorum plane coincident vires, aut ad publica magisteria vel omnino intercluditur vel satis impeditur iter; aut in institutione iuventutis nullæ reliquæ sunt partes; hinc christiana omnis actio publicæ utilitatis intercepta; egregii e populo viri catholicanum fidem apertius profitentes, nullo in honore numerove positi, procacibus iniuris lacessiti, exagitati quasi genus infinitum atque abiectissimum, serius ocius visuri diem, quo, recrudescente hostili vi legum, nec sibi licebit in rebus ullis misceri, quibus publica vita actio continetur. Huius interim auctores bellum, tam atrociter callideque suscepti, non alia dicunt se causa moveri, nisi libertatis amore ac studio provehendæ humanitatis, quin etiam patriæ caritate, hand securus mentiti atque ipsorum parens, qui *homicida erat ab initio, qui cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia men-*

*dax est* (1), et in Deum atque in hominum genus inexpiabili odio succensus. Protervae sane frontis homines, qui verba dare nituntur et incautis auribus insidias facere. Nec enim eos dulcis amor patriæ aut anxia de populo cura, aut ulla recti honestique species ad nefarium bellum impellunt, sed vesanus in Deum furor in eiusque admirandum opus, Ecclesiam. Ex concepto eiusmodi odio, tamquam ex venenato fonte, sclerata illa consilia erumpunt Ecclesiae opprimendæ summovendaeque a coniunctione societatis humanae; inde ignobiles voces clamitantia eam esse demortuam, quam nihilominus oppugnare non desinunt; quin etiam eae audaciae insaniaeque procedunt, ut omni libertate spoliata criminari non dubitet quod in hominum genus, quod in rem publicam utilitatis conferat nihil. Idem infensus animus efficit, ut illustriora Ecclesiae atque Apostolicae Sedis beneficia vel astute dissimulent, vel silentio praeterant; forte etiam occasione arripiant iniiciendæ suspiciones et influendi calido artificio in aures animosque multitudinis, acta dictave singula Ecclesiae aucupantes eaque traducentes quasi totidem impendentia civitati pericula, quum contra dubitari non possit, quin germanæ libertatis et exquisitoris humanitatis incrementa a Christo maxime per Ecclesiam, profecta sint.

(Ad proximum numerum).

(1) *Ioan.*, VIII, 44.EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS  
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

## Ex Congregatione Concilii.

Sub art. IX § 2 decreti *Ne temere [de sponsalibus et matrimonio] in exceptione: nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede statutum sit*, non comprehenditur instructio S. Congregationis pro Negotiis ecclesiasticis extraordinariis anno MDCCXLIV pro imperio Russiaco et regno Poloniae: « Respondendum ore tenus, matrimonia mixta, quae in Russiaco imperio et in regno Poloniae inita sint præter formam a Tridentino Concilio præscriptam, esse prudenter dissimulanda, et, quamvis illicita, pro validis habenda, nisi tamen aliud obstet dirimens canonicum impedimentum », et extensio declarationis Benedictinæ ad Polonium in imperio Russiaco, a Pio VI d. II mens. Martii MDCCCLXXX facta. (Ex decr. d. VIII mens. Iulii MDCCCCVIII).

## Ex Congregatione Consistoriali.

Pagi « Klonkov » et « Wyzega » separantur a Diocesi Augustoviensi et dioecesi Plocensi attribuuntur — (Ex decr. d. XV mens. Martii MCMIX).

## Ex Congregatione S. Officii.

Quilibet sacerdos ad extrema sacramenta religiosis mulieribus votorum tum solemnium tum simplicium ministranda rite vocatus eisdem animam agentibus apostolicam etiam benedictionem, etsi aliunde hac facultate non polleat, impetriri valebit, ad normam apostolicae constitutionis s. m. Benedicti XIV, quae incipit *Pia mater*, et servata forma in Rituallu romano præscripta. (Ex decr. d. I mens. Aprilis MCMIX).

— Nullus sacerdos titulo Missionarii Apostolici in posterum insigniatur: 1º nisi authenticum documentum exhibuerit, ex quo resultet, ipsum coram examinatoibus a legitimo superiore deputatis formale examen subisse de competenti theologica et philosophica doctrina, deque peritia ad sancte, fructuose et decore praedicandum verbum Dei sacrasque dandas missiones; atque favorable prorsus ab iisdem examinatoibus testimonium retulisse, et a superiori suo legitimam approbationem simul reportasse; — 2º nisi ad excipendas sacramentales utriusque sexus fidelium confessiones ab Ordinario loci, in quo moram nempe stabilem sive ultimam trahit orator, iam fuerit legitime approbatus; — 3º nisi saltem per decem annos sacris missionibus aliquis praedicationibus, ac praesertim extra limites interdum suae dioecesis, cum laude vacaverit atque intenderit; de qua re Ordinarii locorum fidem indubiam in scriptis fecerint, testantes pariter, oratorem statutis ab Apostolica Sede circa sacram praedicationem normis constanter adhaesisse, et irreprehensis moribus apud populum se probasse; — 4º nisi commendatus fuerit per litteras ad sacram Congregationem S. Officii directe transmittendas ab Ordinario loci, ubi habitualiter domicilium tenet orator; et si agatur de sacerdote regulari, consensus etiam et commendatio in scriptis, ut supra, sui superioris generalis accesserit.

Sacerdos qui a S. Officii Congregatione Missionarii Apostolici titulo decoratus fuerit, huiusmodi titulo et adnexis induito et facultatibus nonnisi ad libitum Sanctae Sedi gaudere valebit, nec non sub directione et dependentia Ordinariorum locorum, in quibus missiones per eum fieri contigerit, quibus omnino parere debeat, ac licentiam prius cum facultibus ab eis recipere.

Indultum et facultates ab eadem S. Congregatione una cum titulo Missionarii apostolici concedenda, illa tantummodo erunt, quae in speciali elenco continentur; ac praeter illa nullum peculiare privilegium, nulla habitus distinctio, nequa illa a proprio Ordinario exemptio tributa censeantur.

Super prescriptum praefatae S. Congregationis, quo aliqui sacerdoti titulus Missionarii cum adnexis induito et facultatibus tribuitur, litterae apostolicae in forma *Brevis*, vita naturali oratoris perdurante valiturae, expedientur. (Ex decr. d. XXII mens. Aprilis MCMIX).

#### Ex Congregatione SS. Rituum.

*Decretum seu instructiones de cantibus concinnandis edendisque ad officia propria alicuius ecclesiae vel instituti. Sacra Rituum Congregatio necessarium atque opportunum iudicavit, quasdam instructiones seu leges circa cantus concinnandos atque edendos, Officia propria alicuius ecclesiae vel instituti recipientes, statuere ac evulgare. Quae quidem instructiones seu leges in audiencia d. XXIV mens. Martii MCMIX a SS. D. N. Pio Papa X approbatæ ac sanctitæ, sunt quæ sequuntur:*

1º Praeter cantus, qui in editione vaticana habentur, alii existant non pauci, qui, quamvis non ad usum liturgicum, licet peculiari tantum loci, pertineant, propterea omnino debent (Decr. d. XI mens. Aug. MCMV, 5-6) ad formam gregorianam concinnari, aut certe reduci, ut inde possint Sacrorum Rituum Congregationis approbatione muniri.

2º Istiusmodi cantus, quamvis non universam spectent Ecclesiam, nihilominus in potestate cedunt Sedis Apostolicae, quae eos approbando facit suos, ac pleno prorsus iure petitur de forma ususque eorum admittendis, tollendis, limitandis et ita quidem moderandis, ut cantus etiam proprii singularum ecclesiarum cum typicis et inter se concordent.

*Si non omnia cadunt secunda, fortuna est industria sublevanda.*

CAES., *De bell. gall.*, III, 73.

3º Nec tamen ista suprema Sedis Apostolicae potestas super liturgicas cantilenas impedit, quominus firma maneat possessoribus consueta proprietatis iura, scilicet:

a) Ordinario, super ecclesiae sue Proprium, sumptum quidem universe; minime vero in partes, nisi omnino speciales;

b) auctori vel editori primo, si agatur de melodiis vel de aliquo Proprio cuiquam ecclesiae non reservatis ut esset v. g. *Kyrie* in Ordinario Missae extra editionem typicam approbatum, aut Proprium regionale; quae tamen, decennio elapsos, publici iuriis fiant, salvo semper sedis Apostolicae dominio.

4º Praedictorum autem iurium usus sic temperetur, ut nullus Ordinarius, auctor vel editor obstare queat, quomodo aliis, si conditiones infra notatas impleant, aliquem cantum proprium, suo verborum contextu, ut par est, instructum, typis pariter evulgent.

5º Quivis editor, cantus huiusmodi dari cupiens, ad id admittatur a legitimo possessore, dummodo huic fidem faciat: a) de sufficienti ad rem perficiendam facultate et pietate; b) de praestanda eidem possessori debita remuneratione, cuius scilicet pretium excedere nequeat duplum expensas ad primam confectionem requisitae.

6º De moderatoribus supremis alicuius religiosi instituti idem valeat quod supra de Ordinariis sancitum est, pecularibus tamen servatis privilegiis a Sancta Sede antehac concessis. — Contrariis, etc.

— Preces et hymni liturgici, v. g. *Introitus*, *Communio*, hymnus *Lauda Sion*, a choro musicorum lingua vernacula cantari non possunt infra missam privatam. (Ex decr. *Bucoducen.* d. XXI mens. Martii MCMIX).

— Religiosi, quorum constitutiones nihil disponunt circa Missam conventualem, tenentur dicere quotidie unam Missam conventualem, Officio diei correspondentem, iuxta decreta generale S. R. C. sub num. 3757 diei II mens. Decembri MDCXXCI. Missa conventualis choraliiter, id est cum assistentia communis omnino celebranda est, et quidem post recitatum in choro respectivam horam canoniam; ipsa autem Missa et horae eandem praecedentes congruo tempore persolvantur. (Ex decr. *Ord. Carmelit. Excalc.* d. XIV mens. Maii MCMIX).

— Si infra octavam alicuius festivitatis seu mysterii petatur Missa votiva de eodem festo, celebranda die qua non recitat Officium de octava, huiusmodi Missa votiva celebri debet more festivo, quamvis de diebus infra octavam nulla vel sola fiat commemoratio. (Indidem).

#### Ex Congregatione de Sacramentis.

Quilibet sacerdos, qui ad normam art. VII decreti *Ne temere* [de spons. et matr.], imminentे mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duabus testibus matrimonio adsistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adjunctis dispensare quoque potest super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita. (Ex decr. d. XIV mens. Maii MCMIX).

*Si non omnia cadunt secunda, fortuna est industria sublevanda.*

CAES., *De bell. gall.*, III, 73.

#### DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Maii - d. XXI mens. Iunii MDCCCIX)

##### Coram SSmo admissiones.

Praeter purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munera gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: De Thun Hohenstein Princeps, Melitensis Ordinis Magister Maximus; Nicolaus Szécsen de Temerin, legatus extraordinarius atque administrator cum omni potestate Austrorum Hungarorumque civitatis apud Apostolicam Sedem; De Liechtenstein Princeps foemina, Mensdorf Comes et Consilium Societas S. Michaelis Vindobonensis; operarij agmen Gallicis ferriviis vacantium; manus peregrinorum Austriaci imperii; Subalpinorum peregrinorum manus; Blumenstihl Comes eiusque familia; P. Murray, Rector Maximus Congregationis SS. Redemptoris recens electus cum sacro reliquias familiae sue comitio; Lodovicus Chigi, Princeps Urbanus; Ordinis Minorum S. Francisci Concilium; Hispani peregrini ex Terra Sancta reduces; Pontificii Urbani Collegii Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis alumni, una cum pluribus Nordicis Americae episopis et peregrinis, qui ad quinquageneria ipsius collegii sollemnia celebranda Romam advenierunt.

##### Pontificiae electiones.

Excusus vir Prosper Scaccia, episcopus Tiburtinus, ad Senarum archiepiscopatum promovetur.

— R. v. Marianus Ugolini, alter ab Sanctae Sedi Archivista, et Leopoldus Fonck S. I. praeses Pontificii instituti bibliici renunciantur.

— R. v. Antonius Perathoner, ex Austria, inter Sacrae Romanæ Rotæ Auditores adsciscitur.

##### Vita functi viri clariores.

Romae, excusus vir Paulus Maria Barone, archiepiscopus Senarum electus, et Petrus Wenzel, alter ab Archivista S. Sedi.

##### Varia.

Die XXVI mens. Maii Motu proprio Sanctissimi iurisconsultorum et causas in foro agentium coetus, cui nomen a S. Petro Apostolorum Principe, deletur.

Die I mens. Iunii Apostolicæ litterae vulgantur quibus Pontificium Institutum Biblicum in Urbe erigitur.

#### ANNALES

##### Caesarum conventus.

Reval, in Russico litora, proximis diebus Gulielmus, Germanorum Caesar, Nicolaum convenit, Caesarem Russorum. Eventus memorabilis est quamquam privatae visitationis sub specie exhibitus. Colloquia enim octo circiter per horas producta, adstantibus hinc Germanorum Petropolitano legato Poutalès, inde Stolipyno, Iswolskio et Schönnō administris, procul-

dubio fidem omnem ademerunt eorum verbis, qui post Balkanicam quaestionem brevi exoriturum bellum inter Germanicam Russicamque nationem vaticinabantur. Contra, deducere licet, hunc etiam conventum ad servandam pacem et ad tranquillam quaestionem, quae inter Europæ populos agitantur, solutionem, firmum auxilium conlaturum.



##### Cretensis quaestio.

In eiusmodi quaestionibus ipsum Graecorum et Turcarum discrimen de Creteni insula adnumerandum. Graeci enim vehementius his diebus sese comovere visi sunt, ut denique margarita illa sui mari a Turcarum corona discinderetur; Turcae contra acriter obstitere, neque a belli minis abstinerunt. Ceterorum vero populorum gubernatores, quibus quasi tutela insulae commissa est, officia sua interposuere, quietemque suadentes, mentem suam aperuerunt eundemque animum, fore ut communi utriusque partis expletione res ipsorum opera brevi definiatur.



##### In Mauritania.

Mauritanum imperium dicendi iterum argumentum praebet; cum Hispanis enim ita se gerit, ut hi oppositiones publice denuntiare cogantur, et gentium suarum rebelliones sedare non potest. Seditionibus Beni M' Tir tribus et Kitani principis, factio accessit sensis illius Bu Amara, qui populos ad meridiem incolentes spe magnorum praemiorum ad se quotidie trahit.

#### PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Anglia nova lex de aerario lata.

In Austria nummularia mensa agraria pro Bosniaca regione post vehementem disceptationem decreta.

In Batavia nova comitia favorabilia administrorum collegio, cui Heemskerk praeest, omnino ceserunt.

In Gallia bellicarum rerum administratio opportunitas legibus reformata.

In Germania rogationi legis ad fiscum reformatum vehementer obsistitur.

In Italia exterarum rerum administer Tittonius contra socialistas inurbane atque inclementer Russorum Caesari publice insultantes, firmiter et cum

omnium plausu restituit. Rationes accepti et expensi in examen vocatae.

In **Russia** antequam publici coetus sessiones ad mensem Octobrem intermitterentur, de «conscientiae libertate» lata lex.

In **Turcarum imperio** contra, lex reiecta de officio alterius ab administristro instituendo.

### PER ORBEM

Die XXI mens. Maii MDCCCLIX Aspern, adstante Francisco Iosepho, Austrorum Hungarorumque Caesar, centenaria sollemnia pugnae illic pugnatae celebrantur.

— d. XXIII, Niceae ad Varum, Essling proelii memoria pariter magno cum apparatu renovatur.

— d. XXIV, Romae, medicorum ex nationibus omnibus alter conventus habetur ad laboris infortunia examinanda.

— d. XXVI, Vindobonae, in Iosephi Haydn, celeberrimi illius musicae artis magistri, honorem nobilis ludi peraguntur, centesimo recurrente anno ab eius obitu. Laurentius Perosi iis adest tamquam Summi Pontificis legatus.

— d. XXX Pisis, Palestri aliisque locis Italorum Gallorumque sanguine an. MDCCCLIX cruentatis, singulorum proeliorum quinquagenariae commemorationes incipiunt.

Arelate, Friderico Mistral poëtae viventi adhuc monumentum dicatur.

— die XXXI aëronavis Zeppelin Berolinum versus iter faciens, ad Goepingen quum pervenisset, arbore implicata, labefactatur.

Die I mensis Junii, Neapoli, quinquaginta et tres annos natus supremum obit diem Iosephus Martucci, musicæ artis inter Italos praeclarus.

— d. V, Hagae, piaculari aqua abluitur Iuliana, Gulielmae reginae filiola prima.

— d. VII Ferdinandus, Bulgariae rex, Vindobonam tenet.

— d. IX ad Montem Albanum Ionicum curruum series vapore acta in alteram occurrit. Viatores viinti et unus vulnera patiuntur.

— d. XIII Florentiae, Andreæ Del Sarto, saeculi XVI pictori eximio in illa orto civitate, aeneum monumentum exigitur.

— d. XIV Rivi Ianuarii in urbe moritur Alfonsus Moreira Penna doctor, Brasiliensis civitatis praeses.

— d. XVII, Reval, Gulielmus, Germanorum Caesar, cum Nicolao, Caesare Russorum, convenit.

— d. XX, Meriel, apud Lutetiam Parisiorum, repento morbo corripitur Ludovicus Marchetti, pictor insignis, Romæ natus d. X mens. Maii MDCCCLIX.

### LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

*Socios et lectores admonere iuvat, libros recens editos atque ad nos missos ut in Vox Urbis eorum notitia detur, neque hoc ipso a nobis commendari, neque apud administratorum nostrum, nisi contra aperte declaretur, venundari. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.*

Notiones archaeologiae christianaæ disciplinis theologicis coordinatae auctore P. XYXTO O. C. R. — Vol. II pars prima: Epigraphia. — Romæ edid. Desclée et Soc. (Ven. lib. 6).

I. B. FRANCESIA sacerdotis Tarcisius. Actio dramatica versibus senariis conscripta. Editio altera. — Ex officina Don Bosco S. Benigni in Salassis (Ven. lib. 0,50).

Carmen saeculare, quod ad centesimum anniversarium Rom. Cath. ecclesiae Thephelissensis, tituli Assumptionis B. Mariae V. celebrandum ARNOLDUS RUDZIAKSKI kal. Mai. anno Domini MDCCCLIX fecit.

L'abbé I. M. MEUNIER. Traité de la prononciation normale du Latin. — Lutetiae Parisiorum ex off. Poussielgue, Rue Cassette, 15.

### AENIGMATA

#### (PERMUTATIO VOCALIUM)

##### I.

A mulier queritur iam facta labentibus annis;  
O flet, si gravius fert miserandus homo.

##### II.

A precibus semper ferventibus addito, ut absit  
O, tibi si apparuit, ne ferat ulla mala.

I. WABNER.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intramenses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus I. B. FRANCESIA S. Benigni in Salassis his diebus editum, cui titulus:

#### TARCISIUS

#### ACTIO DRAMATICA VERSIBUS SENARIIS CONSCRIPTA.

Aenigmata an. XII, n. IV proposita his respondent:

1) Aer, Rea; 2) Ara, Ora.

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — Alex. P. Gest, Trentonio. — Ern. Mártonffus, Nagyvárad. — F. Arnori, Mediolano. — Ios. Rainelli, Arona. — Ios. Martin, Philadelphia. — F. Guerra, Alatio. — Max. Wrönski, Nova Wies Narylowa. — Rich. Brondel, Brugis. — Ed. Ryan, Tullamore in Hibernia. — Ali. Martinez, Badajocio. — Guil. Schenz, Ratibona. — Rich. Müller, Berolini. — Guil. Schmidt, Londino. — Alois. Cappelli, Senis.

Sortitus est praemium:

ALFONSUS MARTINEZ,

ad quem missum est opus, cui titulus:

ALOISII CLASII LUSUS PASTORALES  
(Latina verit. IOANNES BATTANIUS).

### [7] AEGYPTII - CAROLI M. ROSINII Comoedia

Recognovit I. F.

Ilic consistite: cum tempus erit, indidem Arcessam vos. Chr. Ut iubes. Ant. Heus, Chremes, Abscedamus; tuque valeto, vir optume.

Chr. Vale, in quo spes omnis mea sita est. Precor, Ne me destitutas, bone. Iphi. Ne palpita, Chremes (1), Laetus eris. Chr. Di te fortunant, Iphicrates (2).

#### SCENA II.

Charinus, Sannio.

Char. Quid tibi videtur nunc? Magnus Curculio (3) Disparuit. San. Miror equidem, si non adhuc Rediit, sed aliquid fortasse fuit in mora.

Char. Fortasse etiam consuluit is ventri suo, Cum sat noscit consulunt duceret a Iove, Ad cuius fanum supplicatum miserit.

San. Nims suspiciosus, Charine, es. Char. O! utinam Falsus sim. San. Atqui falsum te esse ipsa res docet. En ipsum, qui hue festinus, laetusque advenit.

Char. Ipse est, do manus; quid nunc ferat, videbimus. San. Expectatissimus venis, Curculio.

(1) Dexteram porrigen.

(2) Exeunt adversis partibus.

(3) Sardonice et iracunde loquitur.

SCENA III.  
Curculio, Charinus, Sannio.

Cur. Hic nempe locus, quem vobis condixeram (1), An templum Iovis? Char. Illic dudum expectavimus, Mox impatiens obviam tibi venimus.

Cur. O quam damnosa res haec impatiens, Puer! San. Inculcare id saepius non destiti.

Char. Peccatum fateor, mi bone; nunc parcas, precor. San. Omitte nunc ista, et quid gaudii feras (2), Dic potius nobis. Cur. Etsi deberem minus, Vobis prodesse cupio. Sed circumspice

Prius, num qui nostros sermones acupet.

San. Nemo est, die confidenter (3). Cur. Transeggi omnia. Domum vobis ornatum, coenamque opiparam Iam comparavi, aurique si lubet affatim.

Char. Quomodo? dic planius. Cur. Dicam. Est ditissimus Heic homo, nomine Blepharo, sed aequo sordidus. Unicus est illi quindecennis filius,

Item, ut pater, bardus, nulliusque ingenii, Quem mercatorem gnatum institui discipit.

Hic ergo persuasi, huc venisse peregre

(1) Iratus loquitur.

(2) Subiratus haec dicit.

(3) Circumspectat.

(Pergit in pag. seq.)

### DESCLÉE ET SOCII - ÉDITEURS PONTIFICII

ROMAE — Piazza Grazioli, palazzo Doria — ROMAE

### HORATII MARUCCHI

CHRISTIANAE ARCHAEOLOGIAE DOCTORIS

#### OPERA:

#### Eléments d'archéologie chrétienne:

I. Notions générales. — Vol. in-8 magn. figuris illustratum (Editio altera). . . . . ven. lib. 6 —

II. Les catacombes romaines. — Vol. in-8 magn. figuris illustratum . . . . . ven. lib. 8 —

III. Basiliques et Eglises de Rome . . . . . ven. lib. 8 —

Le Forum Romain et le Palatin d'après les dernières découvertes; opus duabus tabulis topographicis pluribusque figuris ornatum . . . . . ven. lib. 6 —

The Romanum Forum and the Palatine according to the latest discoveries, etc. . . . . ven. lib. 6 —

Guide des catacombes romaines. — Vol. constans pag. 450 pluribus tabulis topographicis et figuris locupletatum. . . . . ven. lib. 8 —

Basiliques et Eglises de Rome. — Magnum vol. in-8 figuris illustratum. . . . . ven. lib. 8 —

Manuel d'archéologie chrétienne. Résumé des éléments d'archéologie — Vol. in-8 magn. figuris illustratum . . . . . ven. lib. 4 —

Guide abrégé du cimetière de Priscille sur la voie Salaria. — Vol. in-12 . . . . . ven. lib. 0,50

Guide abrégé du cimetière de Calixte sur la voie Appienne . . . . . ven. lib. 0,50

Usque ex Aegypto iuvenem divitem admodum  
Cum paedagogo, et navi onusta mercibus,  
Quem ad nostratem Lachetem miserit pater,  
Panophis nomine, ut mercaturaе daret  
Operam: Lachetem vero commentus fui,  
Idcirco quia is nuper fato defunctus est,  
Ut proinde non sit, qui hos recipiat hospites.  
Hac fabula lactatus avarus Blepharo,  
Mirum, quam cupit aegyptios hosce hospites  
Ad se pertrahere, tum illis inhians mercibus,  
Tum reputans perbelli consultum filio,  
Si tanto cum negotiatore inierit  
Societatem. Hinc coepit me orare impensis,  
Ut ad se adducerem statim, atque istam sibi  
Conciliarem hospitalitatem mutuam.  
Spopondi. Quid tibi videtur, Sannio?  
**San.** Papae! Curculio, pro tua sapientia  
Invenisti dolum. **Char.** Nos ergo Aegyptii  
Sumus? **Cur.** Vos nempe ipsi estis. Tu vocabere  
Psithacopsis, Charine, gnatus Panopehos:  
Tu vero Colocynthopsis fidus assecla.  
Tenetis iam? **San.** Tenemus. At haeret res mihi.  
**Cur.** Ecce? **San.** Quia aegyptiacae nescimus loqui.  
**Char.** Optime ait Sannio. **Cur.** Imo nugas venditat;  
Quippe procellas timetis in simpvio.  
Nil planius est, quam linguam aegyptiam loqui.  
**San.** Doce nos ergo hanc linguam. **Cur.** O quam tu tardus es!  
Num Blepharoneum aegyptiacae scire autumas?  
**San.** Non aedepol autumo. **Cur.** Ergo quidquid barbaro

More insuraveritis pleno gutture,  
Purum putum erit aegyptium. **San.** Teneo probe.  
**Cur.** Tuque, Charine, intellexit? **Char.** Non belle hactenus:  
Pone exemplum. **Cur.** Fac, te salutem dicere  
Blepharoni velle, ingressus cum fueris domum;  
Tum murmurans, quodecumque in buccam venerit,  
Et barbaro te torquens more, dicio (1)  
In hunc fere modum: *Haalmaim baar*  
*Blepharoin neni.* **Char.** Nunc recte intellego.  
(1) *Os* *huc illuc contorguens.*  
(*Ad proximum numerum.*)

### Epistolarum commercium


Cl. v. dri. A. BA..., Goritiae. — Omnia accepimus,  
tibique amplissimas gratias referimus.  
Cl. v. A. HAB..., Modling. — Scriptum, quod misisti  
sero nimis ad me pervenit, quam ut pro opportunitate ede-  
retur. Feriarum otium tibi tempus aliquod alia scribendi  
proxime suppeditaturum confidimus.  
Cl. v. L. LAUR..., Cantuariae. — Quid de iis quae  
pollicitus eras?  
Cl. v. I. ASP.... Ro..., Afragolae. — Simulacra curae,  
quibus undique premor, intervallum aliquod fecerint, ad te  
scribam.  
Cl. v. T. CUR..., Treiae. — Ad proximum numerum.  
A SECRETIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

### HOROLOGIUM

ad Roskopfii rationem  
in germanicis Officinis fabricatum



sociisque Commentarii Vox Urbis  
qui subnotatores novos  
acquisiverint duos  
praemio constitutum



sociisque singulis Commentarii VOX URBIS dono concessum



CAESARIS TIRATELLI tabula  
baptismalem pompa in Campania referens (metr. 0,60 × 0,40)  
sociis omnibus qui novum unum acquisiverint  
gratuito donatur.

### NUMISMA

iubente Consilio Centrali  
ad  
Pii PP. X Sacerd. Jubileum  
celebrandum

expresse descriplum et cusum

sociisque singulis Commentarii VOX URBIS dono concessum

## PROSPECTUS SUBNOTATIONIS

### COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCIX

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 6

ubique extra Italiam Libell. 9

(Doll. 1,80; Sh. 7; Mark. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

recto tramite mittendum

### ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis" possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

### Praemia sociis constituta:

**Ex subnotatoribus quisque** numisma, iubente Centrali Consilio ad  
Pii X P. M. Iubilaeum Sacerdotale cele-  
brandum expresse cusum et extra commercium habitum, dono accipiet.

**Novi subnotatores singuli** praesterea Vox Urbis kalendario fruentur,  
quod socii, qui iam superioribus annis ha-  
buerant, obtinere simul poterunt, dummodo subnotationis pretio lib. 0,25 ad diritorii expensas  
resarcendas addiderint.

**Qui socium novum acquisiverit unum,** eiusque subnotationis  
serit, gratis accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. 0,60 × 0,40 a celeberrimo Urbano S. Mi-  
chaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem. — Ab hoc  
tamen et sequentibus praemiis bibliopole excipiuntur.

**Qui socios novos acquisiverit duos** ut supra, horologium sibi  
habet in Germanicis of-  
ficinis ad Roskopfii rationem nobis fabricatum.

**Qui socios novos acquisiverit tres** eorumque subnotationis pre-  
tium miserit, a pretio suo  
solvendo eximetur.

**Qui socios novos viginti quinque coegerit** ante Iulium  
mensem, di-  
midiatum pretium itineris habebit ab Italiae finibus Romam usque, atque inde in discessionis  
Italicam stationem, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

**Qui socios novos coegerit quinquaginta,** ut supra, eodem  
itinere gratis om-  
nino gaudebit.

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

*Diligentia in opere.*

*Temperantia in pretio.*

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

*Gallice atque Hispanice loquitur.*

**Divisorium magnum, cui a Minerva nomen** (<sup>Grand Hôtel</sup>  
<sup>de la Minerve</sup>)

ROMAE, Piazza della Minerva

Divisorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

**Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda**

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX

AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fieri.

*Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quæ sequuntur opera venumdantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:*

PETRI ANGELINI Lollius sive *De provecta latinitate.* — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturnio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

# VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

*Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem*

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

**ROMAM** - Piazza del Gesù, 48 - **ROMAM**



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakiewskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

"Kronika Rodzinna"

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1699, Rue Notre-Dame.